1249. Morbio 17 (20) 20.

Anno domini millesimo cc° xlviiij indictione vij sexto kalendas octubris. Notum sit omnibus quod ego Jacobus barberij sacri imperij notarius confiteor et recognosco me vidisse quasdam literas bulle summi pontificis sigillatas pendente cum seta non abolitas non cancellatas nec in aliqua parte viciatas. quarum tenor talis erat. Honorius episcopus servus servorum dei dilectis filiis. Abbati Cisterciensi et universis coabbatibus eius et fratribus sub eodem ordine deo servientibus salutem et apostolicam benedictionem. Cum ordinis vestri generosa plantatio multe religionis et honestatis flores et fructus protulerit effuso longe lateque laudabilis conversationis odore apostolice sedis auctoritas considerans per marthe sollicitudinem providendum esse marie quieti. ut orantis marie suffragiis satagentis marthe sollicitudo ministerij iuvaretur. ne aliquis temeritatis incursus sancte conversationis ocium perturbaret ordinem vestrum et privilegiis et non nullis indulgenciis specialis gracie prerogativa munivit. Nos autem qui salutifera comoda vestra benigno favore prosequimur tranquillitati vestre libenter prout possumus providemus auctoritate presencium inhibentes ne legati sedis apostolice sine speciali mandato nostro in vos excommunicationis vel suspensionis et in monasteria vestra interdicti sentencias contra ea que vobis sunt ab apostolica sede concessa promulgent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit. indignationem omnipotentis dei et beatorum petri et pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Lateran. xiiij. kalendas Januarij Pontificatus nostri Anno tercio.

Et ego Jacobus supradictus secundum quod inveni in ipsis litteris apostolicis nichil addito vel remoto vel subtracto de verbo ad verbum scripsi et tradidi fideliter.

Signum. Signum suprascripti Notarij.

Johannes dei gratia bellicensis episcopus universis christi fidelibus eternam in domino karitatem. Noveritis nos vidisse legisse et intellexisse litteras summi pontificis prout superius continetur non abolitas non cancellatas nec in aliqua parte sui viciatas sigillo plumbeo pendente cum seta sigillatas nichil addito vel subtracto. In cuius rei testimonium hiis presentibus sigillum nostrum iussimus appendendum.

P. dei gratia gratianopolitane ecclesie episcopus universis christi fidelibus eternam in domino salutem. Noveritis nos vidisse et legisse litteras summi pontificis ut superius continetur non abolitas non cancellatas non in aliqua sui parte viciatas sigillo plumbeo pendente cum seta sigillatas nichil addito vel remoto. In cuius rei testimonium sigillum nostrum iussimus appendendum.

9

dno gr̄ Honorij pp̄ q̄ n̄o
tenean̄ solūe [illegible] lega-
toꝝ n̄ sibi carnes ministra[illegible]

1249

Jacobus berbarij sacri Imperij notarius Exempla-
vit privilegium Honorij pp tertij concessum uni-
versis Abbatibus et fratribus Cisterciensis ordinis
[illegible]

Brondolo — N°. ~~83~~

Morbio 17 (20)